

voluntas quoad essentialem statum gratiæ & charitatis non possit mutari, accidentaliter tamen videlicet per remotionem impedimenti mutari potest.

## DISPUTATIO XXXII.

*De reditu peccatorum & meritorum.*

**S**icut per pœnitentiam omnia peccata mortalia & venialia, quæ vel formaliter vel virtualiter retrahantur, destruuntur, ità econtrà per peccatum mortale amittitur totus gratiæ charitatis & virtutum moralium infusarum thesaurus, verum dubitatur: an, sicut peccans amittit gratiam cum spe recuperandi per pœnitentiam omnia deperdita, ità quoque per pœnitentiam destructa peccata redire possint. De quo sit.

## QUÆSTIO I.

*An peccata possint redire?*

**N**ota 1. Quod idem actus peccati etiam per absolutam Dei potentiam non possit redire, non ideo tantum: quia implicat ens successivum vel transiens idem numero reproduci, sed quia idem effectus à nullâ aliâ causâ principali, quam à Deo, potest reproduci, Deus autem nequit esse causa specialis actus peccaminosi, undè tantum quæritur de reditu peccatorum in esse morali, an nempe peccatum semel remissum possit rursus imputari ad culpam vel pœnam.

*Nota 2* Peccata dupliciter posse intelligi redire: simpliciter & formaliter, si subsequens peccatum vel formaliter vel æquivalenter & virtualiter contineat totam malitiam culpæ & reatum pœnæ antecedentiû peccatorum, ut peccatum sequens non tantum proprium inducat reatum, ut propter illum solum, si impœnitens moriatur, sit damnandus, sed etiam reducat antiquum, ac si ille nunquam remissus fuisset, sed semper perseverasset, ut etiam propter illa priora jam sit damnandus.

Deinde

Deinde secundum quid, cum nempe per peccatum subsequens inducitur effectus similis illi, quem peccata præcedentia priusquam remitterentur, causaverant, sicut dicimus redire eadem tempora, quando redeunt similia jam lapsis, vel cum culpa præsens ex præcedentium remissione accipit graviolem circumstantiam ingratiitudinis, ratione cuius meretur graviolem pœnam.

DICO *Nullomodo potest esse, quod macula & reatus præcedentium peccatorum redeant, secundum quod ex talibus actibus causantur* S. Th. hic Q. 88. A. 1. O.

*Probat* : si peccata quoad maculam & reatum redirent per subsequens peccatum, vel redirent non obstante absolutè factâ remissione, vel quia remissio non est absolutè facta, sed neutrum dici potest : non primum : quia Deus absolutè remittens peccata non impeditur ab homine peccante, nec opus Dei potest irritari per opus hominis. ergo absolutè concessa remissio semper manet non obstante novo hominis peccato : *sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei Rom. 11.* neque est paritas inter conservationem gratiæ sanctificantis & remissionem : cum Deus tamdiu velit conservare gratiam, donec ab homine deseratur.

Neque secundû dici potest : quia per Sacramentû Pœnitentiæ ut causam absolutam & ad remissionem peccati sufficientem Deus absolutè & simpliciter remittit peccata, ergo peccata semel remissa redire non possunt, alias non fuissent absolutè & simpliciter remissa, sed tantum limitatè & sub conditione, donec peccator relabatur.

*Non obstat* id quod legitur Matth. 18. de domino; qui postquam servo iniquo totum debitum dimiserat, audita tamen illius in conservum sævitiâ remissionem prius factam revocavit, iratus dominus ejus tradidit eum tortoribus, usque dum redderet universum debitum;

imprimis enim ex ea similitudine colligi potest, quod remissum delictum secundum quid & æquivalenter rediit, in quantum immanitas, qua servus in conservum deserviit, malitiam omnium peccatorum præcedentium exequabat, undè S. Jacobus in Epist. can. cap. 2. Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. Sic etiam potest dici peccatum mortale remissum redire secundum quid, in quantum culpa, quæ sequitur remissionem peccati, redditur gravior ratione gravioris ingratitude, qua pœnitens rursus eum offendit, à quo misericordiam fuerat consecutus.

Deindè parabolæ non quoad omnia applicandæ sunt ad rem propositam, sed tantum ad ea, quæ sunt finis & scopus per parabolas intentus, qui in allegato Matth. capite erat, ut homines sincerè & ex animo hominibus offensas dimitterent, aliàs nullam à Deo peccatorum suorum veniam obtenturi, licet quoad Ecclesiam & in oculis hominum videantur esse Deo reconciliati.

Verum non tantum de facto peccata semel remissa non redeunt simpliciter, sed neque per absolutam Dei potentiam redire possunt: quia illa culpa remissa est essentialiter dependens in ratione culpæ ab actu voluntatis, alias non esset voluntaria & moralis, sed idem actus nequit redire; ergo nec culpa in ratione culpæ ab actu tanquam radice dependens. Hic actus autem defuit per retractationem esse voluntarius, præter alias implicantias, quas reditus peccati semel remissi involvit. Sequeretur enim quod una species peccati posset constitui per aliam speciem v. g. peccatum fornicationis rediens per peccatum avaritiæ, deindè quod remaneret tale peccatum in indignatione divina, cum tamen solum peccatum mortale sit objectum indignationis divinæ; supponitur autem per infusionem gratiæ peccatum mortale esse remissum, consequenter maneret divina indignatio sine objecto; quod implicat.

Ex quibus sequitur non tantum quoad reatum culpæ sed etiam quoad reatum pœnæ æternæ peccata remissa redire non posse, cum implicet peccata remitti quoad culpam & non simul quoad pœnam æternam, nihilominus aliter videtur dicendum de pœna temporali, quæ cum separabilis sit à culpa, etiam sub conditione remitti potest, & ita per subsequens peccatum redire.

*Obj. 1.* Charitas 1. Pet. 4. dicitur operire multitudinem peccatorum, ergo cessante per novum peccatum charitate rursus deteguntur præcedentia peccata.

videt S. Th. in 4. dist. 22. Q. 1. A. 1. ad 2. *charitas dicitur operire peccata Deo, qui omnia videt, unde oportet, quod ea destruat, non quidem faciens quod actus non præcesserit, sed quod vim impediendi gratiam non habebant.*

*Obj. 2.* Varios S. Script. textus in quibus dicitur Deus peccata semel dimissa propter subsequens peccatum punire, ut Exod. 32. v. 34. *ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum*, vel eorum reminisci ut Tob. 3. v. 3. *ne reminiscaris delicta mea vel parentum meorum* Pl. 78. v. 8. *ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum* & S. Aug. lib. 1. de Bapt. cap. 12. *redire dimissa peccata ubi fraterna charitas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet.*

¶ Quod tales textus vel loquantur de peccatis puniendis minore videlicet temporali pœnâ, dimissa pœnâ æternâ vel graviore, unde & petitiones illæ directæ sunt ad Deum, ut pœnas dilatas non infligat propter præcedentia & præsentia peccata, vel loquantur de reditu secundum quid superius explicato, S. Aug. autem loquitur de peccato nondum dimisso per Baptismum ei, qui propter indisposi-

tionem odii ergà proximum fictè suscepit Baptis-  
mum , ac ità S. P. negat esse dimissum peccatum  
ut conditionalis sit verborum sensus : quod si sint in  
Baptismo dimissa , statim post Baptismum redirent,  
ut patet ex verbis antecedentibus : si autem ( Do-  
natistæ ) dixerint , in illo , qui fictus accessit , per san-  
ctam vim tanti Sacramenti dimissa quidem illi esse pec-  
cata in ipso temporis puncto , sed per fictionem ipsius re-  
diisse continuo . . . hoc etiam in eis intelligant fieri , qui  
extrà Ecclesie communionem , sed tamen baptismate  
Ecclesie baptizantur &c.

### Q U Æ S T I O II.

*An eadem gratia redeat & quomodo?*

**D**ICO : pœnitens quandoque resurgit in majori  
gratia quam prius habuerat , quandoque autem  
in aequali , quandoque etiam in minori S. Th. hic Q.  
89. A. 2. O. sive per Pœnitentiam redit gratia habi-  
ta secundum dispositionem pœnitentis.

*Prima pars ostenditur inductivè* 1<sup>m</sup>ò. redit per  
Pœnitentiam gratia justificationis per peccatum de-  
perdita : quia per Pœnitentiam redit Jus ad primam  
gloriam aliquando promeritam , sed hoc Jus fun-  
datur in prima gratia ; ergo.

2<sup>d</sup>ò. redit gratia Sacramentalis sive prius pec-  
usum Sacramentorum ex opere operato obtenta ,  
tum quia ex S. Scriptura constat omnem gratiæ uber-  
tatem redire per Pœnitentiam , tum quia alias ta-  
lis homo post unicum peccatum perpetuò destitue-  
retur fructu Sacramentorum , nec etiam in fine vi-  
tæ esset melioris conditionis is , qui frequentissimè  
& dignè suscepit Sacramenta , illo , qui nunquam in  
vita suscepisset Sacramenta , si cum æquali Pœni-  
tentia resurgeret.

*Secunda pars probatur : Deus , qui est causa prin-  
cipalis*

DE REDITU PECCATORUM & MERITORUM. 85  
cipalis gratiæ in supernaturalibus se accomodat  
cursui naturali, secundum quem forma semper in-  
troducitur in subiectum dispositum secundum per-  
fectionem dispositionis, ergo cum actus Pœniten-  
tiæ sint dispositiones ad gratiam, quo perfectiores  
sunt actus pœnitentis, eò perfectior & intensior  
gratia infunditur vid. dicta 2. 2. Disput. XIV.

*Obj.* Sublato impedimento tota gratia recedit,  
quæ priùs fuit in homine; atqui si tollatur per pœni-  
tentiam peccatum est sublatum omne gratiæ impe-  
dimentum, ergo semper tota gratia redit.

*R.* Peccatum non tantum fuit impedimentum,  
sed etiam sustulit dispositionem ad gratiam: ut igitur  
tota gratia redeat, requiritur, ut simul disposi-  
tio proportionata adsit, Deus enim reddit gratiam  
absolutè illis, qui sunt dispositi, ergo maiorem red-  
dit gratiam meliùs dispositis.

### QUÆSTIO III.

*An opera meritoria reviviscant?*

**M**ultiplex est genus operum hominis Christia-  
ni 1. Habet opera viva, quæ gratiâ vel in-  
fluxu & imperio charitatis perficiuntur. 2. Opera  
mortifera nempe peccata mortalia, quæ hominem  
habitualiter à Deo avertunt, & ad creaturam con-  
vertunt, quibus homo specialiter moritur Deo, exu-  
tus gratia & virtutibus omnibus gratiam consequen-  
tibus. 3. Habet opera mortua, quæ licet aliquan-  
do ex officio & objecto sint honesta, non tamen  
oriuntur à principio vitæ spiritualis nempe gratia &  
charitate. 4. Habet opera mortificata, quæ qui-  
dem olim erant viva ex radice gratiæ enata, adve-  
niente tamen mortali peccato vi perducendi ad vi-  
tam æternam fuerunt privata. De his ultimis operi-  
bus queritur: an per Pœnitentiam tollentem pecca-  
tum mortale reviviscant.

DICO Opera mortificata per Pœnitentiam reviviscunt. S. Th hic Q. 89. A. 5. O.

Probatur 1. ex factâ Script. in qua Ezech. 18. & 33. dicitur Deus omnium iniquitatum oblivisci, si impius egerit Pœnitentiam, nullaque peccata pœnitenti esse imputanda Hebr. 6. v. 10 *non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri.* oblivisceretur autem operum bonorum, si ea per peccatum mortificata non reviviscerent.

2. Ratio est: quia merita hominis de se sunt digna vitâ æternâ, ut supponitur, & per subsequens peccatum mortale non extinguuntur vel annihilantur apud Deum omnia merita, sed tantum impediuntur, quatenus durante statu peccati mortalis homo est incapax præmii illis meritis debiti, postquam autem homo per Pœnitentiam ad justitiam & gratiam rediit, aufertur illud totum impedimentum & illa indispositio hominis ad vitam æternam, ergo merita mortificata tunc reviviscunt, quæ semper manserunt vitâ æternâ digna in acceptatione divina, dummodo tolleretur obex peccati, quare longè alia est ratio de peccatis, quæ non reviviscunt, quia peccata simpliciter delentur per Pœnitentiam, & pro illis tam quoad culpam quam quoad pœnam ad minus æternam per Pœnitentiam ex meritis Christi plenè est satisfactum, at verò merita priora per peccatum non extinguuntur, sed sopiuntur & impediuntur tantum, & nulla iis adhuc est merces reddita, & hinc sublato impedimento & obice peccati reviviscere debent, ne omni mercede careant, quare hic quadrat illud Apostoli ad Rom. 5. v. 15. *non sicut delictum, ita & donum.*

Obj. 1. sunt aliquæ virtutes, quæ per pœnitentiam redire non possunt ut virginitas, ita ut secundû S. Hieronymum nequidem Deus virginem post lapsum resuscitare possit ergo.

**R.** Deus non potest reddere virginitatem materialiter sumptam pro integritate corporis & immunitate ab omni experimento venereæ delectationis, potest tamen illam restituere formaliter sumptam pro firmo proposito deinceps abstinendi à quolibet actu venereo.

**Obj. 2.** Contractus conditionatus deficiente conditione corrumpitur, sed contractus, quo Deus pollicitus est operibus justorum mercedem, est conditionatus, hanc enim conditionem præsupponit, nempe quod ex parte merentis obex non adveniat, qui obex nil aliud est, nisi peccatum mortale; ergo quando obex ille advenit, contractus rescinditur omninò, proindèque meritis, quæ peccatum præcesserant, nulla amplius merces debetur, quod videtur Deus indicare Ezech. 18. v. 24. *si averteris se justus à justitia sua. omnes justitie ejus, quas fecerat, non recordabuntur.*

**R.** Condicio, quam Deus in retributione meritorum adjecit, est si justus decesserit in gratia: ita enim Trid. Sess. 6. de justif. cap. 16. docet, nil amplius justificatis deesse, quo minus operibus, quæ in Deo facta sunt, vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.

**Colliges :** ad opus meritorium, cui in fine vitæ gloria æterna debet rependi tria requiri 1. ut sit hominis justificati, 2. ut fiat ex auxilio Dei, sive ut concilium loquitur, ut in Deo sit factum. 3. ut ipse operans in gratia ex hac vita decesserit, hæc autem tria contingunt, quando virum pium postea sui lapsus, sicut oportet, pœnitet, & in gratia sic recuperata usque ad finem vitæ perseverat; ergo tunc præcedentia ipsius merita reviviscunt.



*In quo gradu merita reviviscant?*

**D**ICO. Ille, qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate consequetur premium essenziale secundum quantitatem charitatis in quâ invenitur S. Th. hic Q. 89. A. 5. ad 2. Sive merita reviviscunt secundum gradum dispositionis subiecti.

*Probat ex dictis*: actus pœnitentis non tantum se habent ut remotio impedimenti, sed etiam ut dispositio ad reviviscentiam meritorum, sive ad gratiam in esse gratiæ, quæ meritis illis correspondet, sic calor non tantum removet duritiem, qua impeditur aqua frigore congelata, ne fluat, sed etiam aquam disponit, ut ex toto resolvatur vel in parte, forma autem intensibilis aut remissibilis dependens à dispositionibus subiecti nunquam in illud introducit, nisi juxta proportionem & mensuram illorum, undè Trid. sess. 6. Cap. 7. docet: unumquemque recipere gratiam justificantem secundum propriam cujusque dispositionem.

Congruentiæ hujus, quod de facto Deus non aliter det gratiam pœnitentibus adduci possunt 1. Ut non tantum misericordia sed etiam justitia (quæ videtur exigere ut non per qualemcumque sed tantum proportionatam pœnitentiam homo in pristinum statum restituatur) in reviviscentia meritorum resplendeat. 2. Ne justis detur occasio tepiditatis & facilitatis ad peccandum per hoc, quod tam facile pristinus gradus meritorum recuperetur. 3. Ut justificati ad ferventiores charitatis & contritionis actus incitentur.

*Obj. 1.* Juxta hanc sententiam merita tantum ex parte & non perfecte reviviscunt.

*R.* Distinguendo: merita non perfecte reviviscunt, quantum est ex parte Dei & virtutis pœnitentiæ N. Deus enim, quantum est de se, paratus est omnia merita

rita per pœnitentiam mortificata vivificare & reparare, & pœnitentia de se habet ad hoc sufficientem virtutem & efficaciam. Quantum est ex parte hominis non se disponentis per actus intensos charitatis & pœnitentiæ ad plenam & perfectam reviviscenciam omnium meritorum Con.

*Obj. 2.* S. Th. loc. cit. in conclusione addit: *habet tamen gaudium majus de operibus in primâ charitate factis, quam de operibus, quæ in secundâ fecit, quod spectat ad præmium accidentale.* Similia habet in 3. dist. 31. Q. 1. A. 4. ad 4. Ergo videtur S. Thomas meritis mortificatis tantum tribuere reviviscenciam in Ordine ad præmium accidentale non essentielle.

R. S. Th. tantum velle, quod quia tale jus ad præmium essentielle interdum minus est, ac illud, quod fuit ante peccatum ob defectum dispositionis & contritionis, per quam pœnitens resurgit, quæ sæpè valdè remissa est, ideo pro illo excessu & pro illis meritis non perfectè per pœnitentiam reviviscencibus pœnitens tantum habet jus ad præmium aliquod accidentale nempe gaudium majus de operibus in primâ charitate factis, nisi per subsequentes actus contritionis & charitatis se sufficienter disponat.

## DISPUTATIO XXXIII.

### *De contritione.*

**A**ctus primarius virtutis pœnitentiæ juxtâ communem Catholicorum est contritio de quâ Trid. sess. 14. de pœnit. Cap. 4. *Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero; vocatur hic actus contritio, eò quod per illum Cor peccatoris ante obduratum quodammodo discindatur & resolvatur ad recuperandam divinæ*